

17
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



DISPUTATIO JURIDICA
DE
SOCIETATE.

QVAM

SS. TRINITATIS AUXILIO, ET
AUTHORITATE MAGNIFICI ET AMPLIS-
SIMI ICTORUM ORDINIS, IN FLOREN-
TISSIMA ARGENTORATENSI
ACADEMIA.

pro obtinendo J. U. Doctoratu,

Solenni censura subjicit

JUSTUS SEBASTIANUS FABER,
Birckenfeldensis.

Die horis, locoque solitis



ARGENTORATI,

Ex Officinâ Typographicâ JACOBI THILONIS.
ANNO 1751.

U. 39
41.

1651, 5.

6.

196.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
TORONTO

PRINTED BY
J. H. MASON
TORONTO

THE UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

11 ST. JAMES STREET
TORONTO

1910

THE UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

11

D
D
D

Co

TO

sita
pell
ven
reo
sing
ren
diu
ven
ben
ven
ete
prin





ILLVSTRISSIMIS CELSISSIMIS
 PRINCIPIBVS AC DOMINIS,
 DOMINO, CAROLO OTTONI,
 DOMINO, CHRISTIANO,
 DOMINO, JOHANNI CAROLO.
 Fratribus respective patruelibus
 & germanis.

*Comitibus Palatinis Rheni, Ducibus Bavaria, Comitibus
 in Veldentz & Sponheim &c.*

Principibus ac Dominis meis Clementissimis.



*Non leve rerum suarum expeditioni afferre
 momentum existimant Politicorum filij, si
 ingenia Magnatum, eorumque mores, sagaci
 indagine penetrare, illisque se suasque actio-
 nes quovis tempore decenter aptare queant.*

*Tua indolis, Illustrissime Princeps, CAROLE
 OTTO, Domine Clementissime, tanta est sublimitas, genero-
 sitas tanta, ut non nisi à magnis ingenis concipi, pingi ab A-
 pelle, sculpi à Lysippo possit. Prima statim C. T. adolescentia ac
 vernale tempus augustas spirabat gratiarum rosas, purpu-
 reos ferebat virtutum flosculos. Mores tum iam pietate atque
 singulari dignitate nitebant, lingua variam eloquentiam
 tentabat, res magnas animus versabat. Quodcunque à stu-
 diis vacuum tempus concedebatur, equitationi, digladiationi
 venationi, aliisq, utilitatem cum voluptate conjunctam ha-
 bentibus exercitiis equestribus impendere solebas. Quanta
 vero generosis istis praludiis una cum crescentibus annis ha-
 etenus accesserint momenta, mea certe dicendi infantia ex-
 primere nequit.*

A 2 Hec

6.

196.



Hæc ætatis atque gratiarum incrementa Serenissimi
vestri Patruelis, Illustrissimi Principes, CHRISTIANE, &
IOHANNES CAROLE, Domini clementissimi, si oculis ani-
moque lustratis, Vestras omnino cernitis corporis animiq;
dotes, vestros mores. Ille vos ætate præcessit, virtute præ-
luxit, Vos strenue estis insecuti, pariaque hæctenus emensi,
cumque DEO & die emensuri magnanimitatis stadia, læ-
tissimos Vos probatis Palatina Stirpis surculos, flores amænissi-
mos, quorum fructus nostra tandem loquetur Europa.

Ex plurimis autem Principes Celsissimi, Domini clemen-
tissimi, quib. illustrati estis virtutum ornamentis, quo rarius,
eo sublimius est tanti fastigii decus, quod non solum literarum
estis amantiissimi, verum etiam erga illarum cultores pro-
pensissimi. Quamquam enim primam ministeriorum aulico-
rum gloriam potissimum equestri dignitate fulgentibus de-
berisciatis, Vestra tamen serenitatis atque clementia portas
non minus cupida legum juventuti vultis patere. Ita enim
armis estis decorati, ut etiam literis sitis armati, ita belli
gloriam queritis, ut etiam pacis artes ametis, tum demum
beatam fore rempublicam judicantes, si non tantum supremi
ejus moderatores, verum etiam illi, quibus per partes illa
credi solet, veram non simulatam affectarint Philosophiam.

Clementissimo hoc affectu, Principes Illustrissimi, Domi-
ni clementissimi, cum & me meaq; studia hæctenus profecuti
sitis, gratitudinem meam exiguarum harum thesaurum humi-
lima dedicatione contestari volui, C. C. C. V. V. V. humilime
rogitans, quia tantorum meritorum remunerationem nec cel-
sissima Vestra fortuna admittit, nec mea remunerandi facul-
tatem suggerit, ut C. C. C. V. V. V. rudes istas pagellas se-
rena fronte excipere, meque suavissima hac aura in posterum
clementer afflare dignentur. D. O. M. C. C. C. V. V. V. divinita-
tis sua radiis illustret, omniq; tam soli quàm poli gloria mactet.

C. C. C. V. V. V.

humilimus cliens

Justus Sebastianus Faber.



DISPUTATIONIS JURIDICÆ DE SOCIETATE.

THES. I.



Societatis vocabulum proprie personarum conventionem atque unionem denotat. Sicut communio proprie est rerum, quæ etiam nullo contractu habito contingere potest. *l. 32. pro soc. l. 2. com. div.* Nonnunquam tamen vox illa societatis ponitur pro sola rerum communione, *l. 25. §. 16. fam. ercisc.*

quosque ita non consensus sed res conjuxit, socij dicuntur, *in §. 3. Inst. d. O. qua quasi. ex contr.* In genere hæc vox competit etiam alijs naturali vel civili ratione constitutis personarum conjunctionibus, *l. 1. d. act. rer. amor. l. 1. pr. quod cujusque univers. l. 3. §. 4. d. bon. poss. Cic. 1. Off.* Sed si commune nomen contrahatur, huic speciei peculiariter adhærescit, *l. 7. §. 1. de pact.*

II.

Quod ipsius rei definitionem attinet, ejus genus ex *l. 19. h. r. pr. Inst. d. O. ex cons.* satis constat. Est enim contractus iste ex numero consensualium, communioresque horum contractuum ei competunt affectiones, *d. pr.* Videtur insuper contractus esse generalis, *arg. l. 38. h. r. vel ratione objecti,* vel quod non semel absolvatur, sed continuum habeat temporis tractum. In differentia specifica constituenda, percurrendæ sunt causæ hujus contractus. Materia illius, eaque remota, sunt res & operæ. *vid. §. 6.* Propinqua est certum aliquod negotium, in quo res operæque exercentur, quod modo à socijs solis, modo etiam cum extraneis contrahendo absolvitur. *Exempla vid. d. th. 6. allegata.* Forma Finisque ex eo patet, quod quemadmodum omnium obligationum substantia in eo consistit, ut alium nobis adstringant ad dandum, faciendum, præstandum,

A 3

l. 3. d. O.

6.

196



l. 3. d. O. & A. ita etiam socij se invicem constringunt ad res atq; operas (quæ immediata est hujus contractus præstatio) *communicandas.* Idque ea intentione, ut lucrum & damnum inde venturum inter se habeant commune. *conf. Thes. 5. & 6.* Est igitur societas contractus consensualis, de rebus & operis, communis lucri & damni causa, in negotiationem conferendis.

III.

Societas dividitur potissimum ratione quantitatis rerum collatarum. Cum enim illa non tantum communem lucrorum damnorumque causam, verum etiam proportionem partium lucri & damni determinet, merito exinde societas species constituuntur. Alia igitur societas omnium sive universorum *l. 5. pr. D. pr. Inst. h. t.* Alia non universorum *l. 63. pr. h.* Et hæc iterum veltior est, vel unius tantum rei *d. l. 5. l. 65. pr. §. 2. h. t.* Prioris commatis est I. Societas simplex, quæ est eorum tantum, quæ ex quæstu veniunt, sive id exprimat *l. 13. l. 17.* sive simpliciter coeatur, *l. 7. h.* II. hereditatis, quæ indivisa retinetur, *l. 52. §. 6.* III. Negotiationis, quando sc. certa pecuniæ summa, vel definita corporum species sive universitas in negotiatione versatur, *d. pr. Inst. d. l. 5.* Secundum qualitatem societas alia publica de rebus publicis, v. c. vectigalibus, alia privata de rebus privatorum. *d. l. 5. l. 33. h. t.*

IV.

Causa efficiens hujus contractus est communis gentium discursus sive jus, *§. 2. Inst. d. I. N. G. & C. l. 7. pr. & §. 1. d. pact.* Quanquam enim universali illa omnium bonorum communione repudiata, homines res suas diligentius agere, suoque magis commodo invigilare consueverint, quia tamen, ut Cicero inquit, pro Sext. Rosc. omnia per nos gerere non valemus & in quibus ipsi superesse non possumus, ea servis aut mercenarijs committere non semper tutum est, itaque facultatum id operarumque communicatione perficere visum est melius, ut & lucri spes & damni metus, qui omnes æqualiter tangeret, pariter omnes in fide retiner. Hæc conventionis species, cum propter evidentem quam continet utilitatem usu frequentaretur, in certam

8

tam formam paulatim redacta, atque eleganti societatis nomine insignita fuit. Quam nunc celebrare possunt omnes qui non prohibentur, arg. l. 28. §. 2. ex quibus caus. maj. l. 43. §. 1. d. procur. l. 1. §. 1. d. testib. Prohibentur autem præ cæteris pupillus l. 33. furiosus, l. ult. C. h. r.

V.

Finis quem contrahentes unice intendunt est lucrū, l. 67. pr. l. 7. l. 13. l. 25. §. 1. d. O. & A. Lucrum Philosophis dicitur, si quis ex bono plus quam par est, sive quod alterius injuriam habet conjunctam, sumat, Arist. 5. Ethic. 4. Hoc vero loco significat quameunque utilitatem pecuniariam & patrimoniam, natura, industriā vel fortuna quæsitam, sive illa in participatione ipsius rei principalis, ejusve precij consistat. l. 13. §. 1. d. præscr. verb. sive ejus tantum quod accedit. Quod iterum vel occasione rei provenit, ut quæstus ex emtione, locatione, l. 7. l. 8. h. r. vel in usu rei consistit, l. 52. §. 13. h. r. l. 1. §. ult. l. 2. 3. 4. d. his qui effud. vel denique ex pecoribus vel terris nascitur, d. l. 52. §. 2. §. 3. Quia vero non semper favet Mercurius, interdum pro lucro contingit damnum, de quo inf. th. 13.

VI.

Materia sive objectum hujus contractus sunt Res, & Opera. l. 5. D. l. 1. C. h. r. Not. I. res in societatem cadere posse omnium generum, modo commercio nostro non sint exemptæ, l. 63. §. ult. vel vitio quo infectæ, l. 52. §. 17. l. 53. & seqq. & solent conferri vel universa bona, vel pars illorum, vel res aliqua singularis, d. l. 5. h. Not. II. Operam, vel industriam hic intelligi in actu externo (alia ratio est diligentia culpæ opposita) & quatenus ad commune lucrum ordinatæ. Neque enim opera hic gratuito sive officij causa confertur, sicut in mandato, neque in vicem compensationis, pro eo quod datur, sicut in locatione vel contractu innominato l. 1. §. 4. mand. l. 5. d. præscr. verb. Not. III. Res atque operas conferri vel similiter, vel dissimiliter. Aut enim uterq; tam pecuniam ponit, quam operam. Aut alter utrumque quidem ex his operam sc. & pecuniam, sed alter de altero nihil. Aut unus ponit

6.

196



nit solam pecuniam, alter solam operam, Solæ enim operæ pecuniæ vicem subire, atque communionem lucri inferre possunt. *l. 52. §. 2. l. 5. l. 29. D. l. 1. C. h. t.* Cic. pro Rosc. Com. Not. IV. Res & operas conferri vel æqualiter vel inæqualiter, *d. l. 5. l. 29.* Not. V. res & operas varijs in negotijs varie tractari. Exempla occurrunt in *l. 44. l. 52. pr. §. 2. 3. 4. 7. 13. l. 58. pr. l. 65. l. 71. pr. &c.* quæ cunque vero illa sint, non debent esse turpia & inhonesta, *l. 3. §. 3. d. l. 52. §. 17. l. 53. cum seqq.*

VII.

Sequitur forma. Circa quam considerabimus tum quæ societati cum alijs contractibus consensualibus sunt communia, tum quæ propria. Quoad illa, Not. I. Societatem iniri consensu, *l. 19. b. eoque solo pr. Inst. d. O. ex conf. l. 2. §. 1. d. V. O.* nisi forte placuerit socijs scriptura perficere contractum, *l. 71. pr. h. pr. Inst. d. emr. l. 7. C. d. fid. instr.* II. Consensus iste etiam inter absentes per epistolam vel nuncium declarari potest, *d. pr. Inst. d. O. ex conf. l. 4. h. tit.* Sed quomodo accipiendum, quod Modestinus in hac *l. 4.* dicit, coiri posse societatem etiam *re; & verbis.* Dicitur quidem in *l. 25. §. 16. fam. ercis.* quosdam non consensu, sed re ad societatem conjungi, sed societas ibi sumitur pro incidente communione, atque ita Modestinus in illa *l. 4.* considerasset genus saltem æquivocum. Et sic quod de verbis dicitur, ad stipulationem erit referendum, *arg. l. 52. §. pen. d. O. & A.* Communis est explicatio, consensum declarari vel expresse verbis, vel tacite re & facto, *arg. §. 6. Inst. d. her. qual. & diff. l. 95. d. acq. her.* III. Consensus interponitur vel pure *l. 6. C. h.* vel in perpetuum, id est dum vivunt (nulla enim societatis in æternum est coitio, *l. 70. h. t.*) vel ex tempore, vel ad tempus, vel sub conditione. *l. 1. D. l. 6. C. h. t.*

VIII.

Non sufficit autem consensus, nisi subsit quoque affectio vel animus contrahendæ societatis, *l. 31. l. 44. l. 52. pr. & §. 3.* hinc sæpe quæstio facti incidit an contrahentes societatem, an aliam contractus speciem inire voluerint, *casu d. l. 52. pr. item d. l. 31. vers. si duo. juncta l. 2. com. div. item d. l. 44.* Ubi tamen præter

45
præter factum etiam jus videtur dubium; quamvis enim in specie l. 44. affectio societatis supponatur, forma tamen societatis non videtur ei applicari posse. In societate enim debet esse communio lucri quoad latitudinem quantitatis incerti, *passim h. t.* In d. vero l. 44. alter partem non aliquotam, sed certum nummorum numerum sibi exceptit, nulla igitur communio lucri, neque societas. Quod ipsum idem Ulpianus in eodem casu pro ratione decidendi adducit in l. 13. *pr. d. præsc. verb.* non videtur inquit, societas contracta in eo qui te non admisit socium distractionis, sed sibi certum precium exceptit. Sed quia tamen distinctio partium certarum vel incertarum non adeo substantiam societatis afficit, *per l. 52. §. 7. h. t.* propter voluntatem contrahentium ista conventio pro societate merito habetur, *arg. l. 3. d. reb. cred. l. 38. mand.*

IX.

Forma igitur, in quam cadere debet consensus sive affectio societatis consistit in communione. Communione accipe in sensu juridico, ratione proprietatis vel usus; rerum (& analogice operarum) pro partibus indivisis, quæ animo magis & intellectu habetur quam corpore, l. 5. *pr. d. stip. servorum* Quauquam autem etiam universitas aliqua, vel collegium res communes, communis utilitatis causa habere possit, l. 1. §. 1. *quod cuiuscunq; univers.* ejusmodi tamen res non sunt singulorum pro parte, sed conjunctorum sive universitatis, l. 6. §. 1. *d. divis. rer. l. 1. §. 7. d. quest.* adeoque communio ista societatem pro-mercalem non facit. Potest autem communio illa privata considerari vel in rebus collatis in ordine ad lucrum, vel in lucro ipso. Cum igitur in illa specie, qua unus operam solam, alter rem solam confert, modo communicetur res ipsa, vel quod perinde est, precium ex ea suo tempore parandum, l. 13. §. 1. *d. præsc. verb.* modo neutrum horum fiat, sed fructus tantum communicentur, non sine ratione quaritur, an sola ista fructuum sive lucri communicatio societatem sustinere queat? Distinguit Molina Tr. 2. de contractibus 411. n. 3. an contractus simpliciter celebretur, hoc tantum exprimendo, quot partes fructuum sive factuum futura sint apponentis capitale, quot item ejus cui animalia committuntur; an vero
B adjiciatur

adjiciatur saltem virtualiter, quod ista assignatio alteri cedere
debeat in stipendium, quatenus pars illa sic in spe æquipol-
let certo ac determinato stipendio, quo is erat dignus, si
operam & industriam suam ad eam negotiationem locaret.
Hoc quidem casu non esse societatis contractum, sed locatio-
nis operæ & industriæ, siquidem appositio operæ & industriæ,
per se solum cedat in lucrum apponentis capitale, qui pro
illa statuit stipendium, per accidens vero cedat in commune
lucrum: illo vero omnino esse societatem, quia revera sit con-
tractus contribuendi in ordine ad commune lucrum. Gra-
viter obstat l. 13. §. 1. d. *prescr. verb.* Cujus hæc est species:
Ego tibi aream dedi, ut insulam in ea ædifices, ejusque par-
tem postea mihi reddas. Inquit Julianus in formam hu-
jus conventionis, an sit emtio, an mandatum, an vero socie-
tas? Ratio dubit. pro societate videtur, quod alter operam
alter rem conferat, & uterque hanc cum lucro inhaerenti par-
ticipet. Contrarium tamen decidit Julianus, rationemque
petit à forma cessante, nemo inquit, societatem contrahen-
do, rei suæ dominus esse desinit; totalis enim dominij transla-
tio repugnat ejus communioni, quæ est forma societatis. In-
fert dein ex hoc ipso, quod si dominium non in totum trans-
latum, sed vel res, vel precium ex ea suo tempore parandum
communicatum fuerit, esse societatem. Ex quo colligere li-
cet, si res ipsa, vel saltem ejus precium non communicetur,
(quod sane sit dominio retento, fructibus saltem communi-
catis) non esse esse societatem. An forte dicendum, tota-
lem dominij translationem non ideo repugnare societati,
quod substantia societatis præcise in ipsius rei principalis com-
munionem consistat, sed quod is qui rem in totum transfert,
atque nullum amplius in re jus habet, nil quicquam, imo
ne lucrum quidem tanquam ex re sua quæsitum, quod ipsius
personam attinet, communicet; cum tamen uterque contra-
hentium aliquid communicare debeat. Aliam vero esse ra-
tionem, quando dominium in totum retinetur, tum enim
superest, quod ex re mea communicare possim, sc. non tan-
tum detentionem & usum rei in ordine ad lucrum, verum
etiam lucrum ipsum, fructus nimirum, quod ad societatem
sufficit. Hoc igitur dicere videtur Julianus, re in totum
translata,

48.
translata, non esse societatem, quod sc. alter plane nihil com-
municasse videatur, esse vero societatis contractum, si res non
omnino translata, sed vel ipsa vel precium ejus communica-
tum fuerit. Hinc vero à negatione communionis non sim-
pliciter licet negare societatem, sed si subsit translatio do-
minij totalis.

X.

Hucusque de principiis nostri contractus. Sequuntur
jam principales ejus affectiones. Quarum prima, quod
societas non est contractus gratuitus, qui donationis causa con-
trahi possit sed *utrumque sociorum* aliquid oportet conferre,
atque communicare, l. 5. §. 1. h. t.

XI.

II. Societas est contractus bonæ fidei, tot. tit. Inst. d. O. ex conf.
imo in societate ceu fraternitate quadam l. 63. pr. h. fides ex-
uberat, l. 3. C. h. ita ut major in ea requiri videatur dexteritas,
quam in contractu emtionis venditionis arg. l. 3. C. Com. utri-
usque jud. Inque ea non tam spectetur id quod privatim in-
terest unius ex sociis, quam quod ipsi societati expedit, l. 65.
§. 5. h. t.

XII.

III. In societate sicut lucrum, ita damnum quoque
commune esse oportet, l. 52. §. 4. fin. l. 67. pr. l. 10. d. R. l. Quæ
lucra communicanda vel non, patet quodammodo ex l. 60. §.
1. & præterea cujusque soc. natura in specie attendenda. vid.
ib. 17. Hic saltem repetere libet quæstionem illam, si unus
operam solam, alter pecuniam solam confert, an pecunia
illa in dubio, quando neque de expressa contrahentium men-
te, neque de consuetudine loci constat, sola collatione fiat
communis, ita ut finita societate in divisionem vocari queat?
NEG.

XIII.

Communione damni ut eo melius intelligamus, pri-
mo ob-

B 2

mo ob-

mo observandum damnum à diminutione patrimonij dictum
l. 3. d. damn inf. in genere denotare omne detrimentum, quod
quis in re sua familiari, vel in operis sentit. Sive etiam id
quod interest, *l. 52. io. h. t.* quod iterum vel in damno emer-
gente, vel in lucro cessante consistit, *C. d. sent. quæ pro eo quod
inter.* Quo etiam cœtera referenda videntur onera, v. g. æs
alienum, *l. 27. l. 82. h.* item impensæ in res, vel operas *l. 38. §.
1. l. 52. §. 4. 12. 15.* vel aliam justam causam *l. 73. l. 81. h. t. factæ.*
In primis autem considerata damni causa, quæ vel est culpa,
vel casus. Id quod culpa lata, vel levi accidit, in societate est
præstandum, *l. 52. §. 2. l. 72. D. §. ult. I. h. t.* solius igitur levif-
simæ culpæ onus communiter ferendum. Casus regulariter
in nullo contractu præstat, *l. 2. §. 7. d. adm. rer. ad civ.
pert. l. 6. C. d. pign. act.* Sed res suo perit domino *l. 8. C. d.
pign. act.* Si igitur dominium rei commune, ejus etiam
damnum commune, pro rata scilicet portionis. Idem
hactenus in societate. modo res actu fuerit collata, non com-
munioni tantum destinata, *l. 58. §. 1. h. t.* vel etiam res ipsa,
non precium demum ex ea suo tempore parandum fuerit
communicatum, *d. l. 58. pr.* Ulterius autem socij ex natura
hujus contractus, imo naturali ratione, etiam ad hoc vel ta-
cite obligantur, ut si res alterius propria, ex proxima tamen
& immediata societatis & lucri causa perierit, alter damnum
istud pro rata agnoscat, *l. 52. §. 4. l. 60. §. 1. l. 10. d. R. l. quem-
admodum etiam socij vice mutua fidejussisse videntur, arg. l.
67. pr. h. t.*

XIV.

In specie autem qua unus operam solam, alter pecuniam
solam confert, cum supra pecuniam in dubio communicati
negatum sit, superest quæstio, an ejus damnum ad eum qui
operas tantum confert, pro rata spectet? quam itidem nega-
mus. Rationes hinc inde subnascentes in socia disp. exa-
minaturi,

XV.

IV. De communione lucri vel damni cum constet, scien-
dum ulterius est pro qua parte hæc sint communia, Constituitur
autem

47
3.
18

autem proportio partium lucri naturali ratione pro quantitate eorum quæ in societatem collata sunt, *arg. l. 6. l. 80. h. r.* Et per consequens etiam talis analogia in damno servanda §. 3. *Inst. h. r. l. 10. d. R. I.* Videtur tamen Tribonianus in §. 1. *Inst. h. r.* citra respectum ejus quod collatum est, partes simpliciter æquales statuere. An forte partes proportionales sive quotitivæ ibi sunt intelligendæ? An potius per *l. 6. & 80.* simplex vocis significatio retinenda? Et sic in subjecto distinctionis *d. §. 1.* etiam collatio æqualis supponenda, aut saltem talis in dubio præsumenda. Quasi leges eo casu, quo nil conventum, & de collationis quantitate non liquido constare potest, ideo in æquales bonorum communium portiones propendeant, quod socij operam & pecuniam æqualiter contulisse, vel hanc cum illa compensare voluisse videantur. Si vero socius sibi vigilarit, & partes inæquales proportioni tamen rerum ab ipso collatarum analogas pacto expresserit, pactum omnino sit servandum. Pacti enim duplex ratio, ut de æquitate rei magis constet & ut firmiter sit obligatio.

XVI.

Ut autem in computatione lucri vel damni ista proportio applicari possit, lucrum & damnum, quæ forte in separatis causis acciderunt, inter se prius compensari debent, §. 2. *vers. quod tamen Inst. l. 30. D. h. r.* Quo facto id, quod sortem vel excedit, vel ei deest, in divisionem vocandum, ita scilicet ut ea quæ utrinque fuerunt collata, inprimis opera (illius enim precium non consistit in puncto, sed pro ratione circumstantiarum latitudinem habet majorem vel minorem, *arg. l. 29. §. 1. h. r. l. 4. d. Op. serv.*) æstimentur, atque inter se comparentur, & qualis tum proportio invenitur, ejus quod quisque contulit, ad id quod contulerunt alij, talis quoque proportio constituenda, vel lucri vel damni, quod unus fert ad lucra vel damna, quæ habituri sunt alij. Ad speciales vero operationes, de quibus Arithmetici, in Reg. quam vocant Consortij hac vice descendere non libet.

XVII.

Præter istas autem societatis affectiones generales, quælibet

B 3

bet

6.
196.

bet species hujus contractus propriam habet naturam, atque
præstationes. De societate universali, vid. l. 1. §. 1. l. 2. l. 3.
pr. §. 1. l. 52. §. 16. 17. 18. l. 73. h. t. l. 39. fam. ercis. De
societ. simplici. l. 7. cum seqq. h. t. l. 45. §. 2. d. A. vel. O. her. De
soc. hereditatis l. 3. §. 2. l. 52. §. 6. De soc. certæ negotiatio-
nis l. 52. §. 5. 15.

XVIII.

Quoniam autem quæ hætenus exposuimus contractus
hujus naturalia (communione intellige lucri & damni, item
proportionem partium rebus collatis tam in lucro quam in
damno respondentem) pactis adjectis mutari solent; de his
quoque pauca subjiciemus. Et I quidem consideranda
ipsa mutatio, ejusque varia exempla. Aut enim proportio
tantum violatur, (ita quidem ut inæqualitas ista in lucro &
damno vel maneat uniformis, casu §. 1. Inst. l. 29. pr. h. t.
vel fiat difformis, & aliam quis lucri aliam damni partem
ferat, casu, §. 2. pr. Inst. l. 30. D. h. t.) aut simul etiam ipsa
communio lucri, vel damni tollitur, §. 2. Inst. vers. & adeo
l. 29. §. 1. & ult. h. t. II. Confid. quoque mutationis hujus
æquitas & iniquitas. Quod enim cæteris contractibus acci-
dit, ut nulla sit v. c. sortis & usurarum, mercis & precij, o-
peræ & mercedis proportio, vel etiam ut quis periculum a-
lienum in se suscipiat gratis, eo nomine etiam societas accu-
sari solet. Quamvis enim pactum de periculo & casibus
fortuitis præstandis per se non sit usurarium, ex accidenti
tamen & ob inæqualitatem hostimenti, mercedis, aut remu-
nerationis tale efficitur. Ampliff. Dn. Tabor, de Socida c. 5.
n. 6. Quod igitur primum proportionis mutatæ exemplum
attinet, cum Tribonianus in d. §. 1. Inst. h. t. si nil actum sit,
partes dicit esse æquales, pacto autem inæquales constitui
posse, Bachovius cum aliis, in comment. & not. suis ad Inst.
Trentl. Wesenb. pro soc. hoc casu collationem æqualem suppo-
nit, quod sc. si collatio inæqualis fuerit, etiamsi nil actum
sit, tamen ex pacto tacito partes constituentur inæquales,
adeoque Justinianus inepte diceret, expressas partes esse ser-
vandas. Quamvis autem vel alius hujus §. 1. sensus erui
possit; de quo supra *ib.* 15. vel quod de vanitate istius pacti
modo

48.
modo objectum fuit, facile inde dilui possit, quod cum aesti-
matio rerum quarundam, nec non operarum, indeque de-
pendens proportio, saepe sit dubia, utile omnino sit pactis
eam determinare, ne postea alter operas suas majoris aesti-
met, quæ socius contra minoris aestimet, C. l. A. 0. 10. n. 3.
Quia tamen ex inductione Bachoviana nulla videtur oriri ini-
quitas (siquidem licet socius plus lucri, quam pro quantita-
te rei à se collatæ debebat, auferat, tamen plus etiam damni sen-
tit, cumque ita periculum pro parte ad se non spectante su-
scipiat, damnum autem æque ac lucrum contingere soleat,
æquum est, ut in compensationem periculi suscepti plus et-
iam lucri ferat) dictæ explicationi adhuc inhærendum
erit. Sed movet in contrarium, l. 29. pr. h. t. quæ partes
inæquales non ex eo probat, quod excessus iste in lucro &
damno pariter, sit proportionatus, sed si plus pecunia vel opera
collatum sit. Quod igitur in d. §. 1. generaliter & indistincte
dictum, id ex hac lege 29. distinctius loquente explican-
dum, cum in toto jure generi per speciem derogetur, l. 80.
d. R. l. arg. §. 2. Inst. d. l. 1. & l. Verum quoniam d. l. 29. sal-
tem aliquid plus impendij exigit, & insuper inæqualitas ista,
pariter, ut modo dictum, in lucro & damno proportionata
sit, non certe analogia lucri cum rebus collatis ad punctum
usque exigenda, sed minima ista inæqualitas saltem conven-
tionis jure sustinenda videtur; Non obstante l. 5. §. 1. h. t. quæ
sicut illum, qui plane nil contulit, donationis causa lucrum
auferre posse negat, ita socios exiguam aliquam ex fraterna
illa affectione ebullientem liberalitatem exercere non prohi-
bet, Molina tr. 2. d. contr. disp. 415. n. 2. fin. quamvis cum al-
ter damnum æque ac lucrum in se susceperit, conventio ista
vix donatio vocari queat.

XIX.

Tantum de proportione mutata, ut tamen partes lucri
& damni maneant uniformes Sequitur ex §. 2. pr. Inst. h. t.
aliud exempl. quo Titius & Sejus inter se pacti sunt, ut ad
Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia, ad Sejum
duæ partes damni, lucri tertia. Sc. Titius non quidem plus
lucris,

lucris, quam pro quantitate rei à se collatæ debebat (sic enim in priorem disputationem iterum incidere) sed tamen minus damni ferret. Q. Mutius talem pactiõnem contra naturam societatis (secundum quam lucris damni que partes esse debent uniformes, §. 3. *Inst. h. t.*) existimavit, & ob id non esse ratam habendam. Servius Sulpitius contra sensit, & pro rat. decid. adduxit hostimentum operæ à Titio navatæ, quo ista iniquitas compensetur; Et quia naturalia contractus regulariter mutari possunt, *arg. §. 5. Inst. h. t.* sententia Servij merito prævaluit.

XX.

Communione, & quidem lucris, quod attinet, tolli illa salva societate, nequit. Leonina enim vel etiam asinina esset societas, ex qua alter nunquam sentiret lucrum, *l. 29. §. ult. h. t.* Et licet unus idemque damnum æque ac lucrum solus ferret, alter tamen non socius, sed minister esset futurus. Alia ratio damni, valet enim pactum, ut quis aliquam lucris, damni vero nullam partem ferat §. 2. *vers. & adeo Inst. h. t.* sub limitatione tamen, quam ex Cassio & Sabino suggerit. Ulpianus *in l. 29. §. 1. D. h. t.* si modo tanti sit opera, quanti damnum, id est, si duo æquam pecuniæ summam conferant, uter ex his à damno vult esse immunis, istud indemnitate commodum æquivalenti operarum hostimento compensare debet.

XXI.

Atque ita quidem communio damni, quæ de natura contractus erat, pacto tollitur. Cum autem, ut *sup. rh. 14.* dictum, in ea specie, qua unus operam solam, alter pecuniam solam confert, damni communio utrinque cessare videatur, pacto nihilominus pecuniæ hujus damnum, ad eum, qui operam tantum confert, rejici posse probatur §. 2. *vers. & adeo Inst. h. t.* Ampl. Dn. Tabor, d. Socida C. 5. n. 17. & 21. modo onus istud suscepti periculi rite compensetur. De qua compensatione Hector Felic. d. societate. C. 19. Sic si dominus pecora, pastor operam confert, sicut pecora regulariter non

non communicantur, ita etiam pastor damnum illorum præstare non tenetur. Si tamen pecora æstimato suscepit, eorum etiam periculum suscepisse dicitur *in l. 52. §. 3. h. t.* non simpliciter, sed si pecus vi majore per erit, adeoque nulla pastoris culpa argui possit, tantum pro parte. Pactum enim æstimatorium hoc casu naturam societatis imitatur, & sicut dominium pro parte saltem transfert, ita etiam tantum communionem damni inducit. Hæc. Fel. d. tr. c. 9. n. 56. & 57. si vero pastor in culpa vel levissima hæret, v. c. si adversus fures non vigilat, æstimatio proprium illius facit detrimentum. Cum enim levis culpa alias ex natura hujus contractus venit. *h. l. 52. §. 2. nisi per custodiam in d. §. 3. levissima culpa intelligatur plane nil æstimatio h. casu operaretur.*

XXII.

Hactenus de principijs sive causis hujus contractus, variisque pactis, quibus ille informari solet. Sequitur jam illius effectus. Sc. numerosissimus obligationum acervus, quæ tum ex actu principali, tum ex ijs qui postea incidunt, expresse vel tacite oriuntur. Quibus non tantum socij verum etiam illorum heredes *l. 35. l. 36. l. 40. l. 63 §. 8. l. 65. §. 9. constringuntur; licet societas ipsa in heredes non transeat dd. ll.* Et pro objecto habent omne id, quod alter alteri pro cuiusque societatis natura, eaque vel pendente vel dissoluta præstare debet. v. g. ut res & operæ, earumque lucra communicentur, *l. 17. §. 1. l. 3. §. 1. l. 52. §. 13. 16. l. 65. §. 15. l. 73. l. 74. h. t. obligationes & actiones ad communionem pertinentes cedantur, l. 3. pr. æs alienum, l. 27. l. 12. l. 82. impensæ, l. 38. §. 1. l. 52. §. 4. 10. 12. 15. l. 61. l. 67. §. 2. D. l. 2. C. h. t. damna casualia, d. l. 52. §. 3. 4. l. 55. l. 58. pr. §. 1. l. 63. §. 8. d. l. 67. pr. utrinque agnoscantur; cautio, l. 27. l. 28. l. 38. l. 63. §. 4. l. 67. h. t. fructus, l. 38. §. 1. h. t. l. 38. §. 9. de usur. interesse, l. 52. §. 10. usuræ l. 60. pr. l. 67. §. 1. 2. præstentur. Denique rationes edantur, reddantur, l. 9. pr. d. edendo, res communes earumque lucra dividantur, præstentur. l. 43. h. t.*

XXIII.

Omnibus vero istis actibus inesse debet bona fides & debitus

C

6.

196.



debitus diligentiae modus. Econtrario si dolo vel culpa quid
omittatur vel committatur, v. g. res earumque lucra non com-
municentur, obligationes & actiones non cedantur, res alie-
num, impensa, damna casualia utrinque non agnoscantur &c.
vel etiam extraneus in societatem admittatur, l. 23. pr. §. I.
servus vulneretur, vel occidatur, l. 49. res communis aufera-
tur, supprimatur, l. 45. alea aut adulterio perdatur, l. 59. §. I.
in pecunia communi reddenda mora committatur, l. 60. pr.
h. t. l. 1. §. I. d. usur. res communis tota alienetur, l. 67. pr. l. 68.
emendi occasio negligatur, l. 52. §. II. societas dolo malo, vel
intempestive renunciatur, l. 14. &c. hisce casibus socius doli
vel culpa reus erit, d. l. 52. §. 2. Quanam autem culpa species
in hoc contractu sit praestanda, docet §. ult. Inst. I. l. 72. b t.

XXIV.

Vidimus jam quae personae, ex quibus causis, quarum re-
rum nomine, quomodo & ad quid sibi invicem obligentur.
Cum autem naturali ratione obligatio pariat actionem, l. 42. §.
2. d. procur. actio vero sit jus persequendi in iudicio §. I. Inst. d. A.
dicendum jam esset non tantum de actionibus ex hoc contractu
pullulantibus, earumque concursu ex l. 38. l. 41. l. 42. l. 43. b.
verum etiam de ipso iudicio tam generali, d. l. 38. l. 52. §. 14.
quam speciali, l. 65. §. 15. officioque iudicis sive arbitri, d. l.
38. pr. l. 70. cum seqq. Sed quia hoc latioris indaginis est, so-
lam actionem pro socio paucis percurramus, considerando ejus
affectiones tum generales tum speciales.

XXV.

Quod generales attinet. Actio hujus contractus sicut
ejus quoque obligatio est (1.) civilis, licet contractus sit juris-
gentium (2.) in personam (3.) rei persecutoria, §. 17. Inst. d. act.
l. 50. b. t. (4.) bonae fidei, §. 28. Inst. d. act. (5.) perpetua (6.)
ab utraque parte directa §. 2. Inst. d. pæn. tem. litig. (ideoque
utriusque socio eadem est formula, quod tu mihi ex causa societa-
tis & ex eo quod communiter gestum est debes, id te mihi ex
b. f. pr. aestare debere ajo (7.) famosa l. 6. §. 5. 6. ult. l. 7. d. his
qui not. infam. (8.) continens condemnationem in id tantum
quod socius facere potest, l. 63. pr. h. l. 38. Inst. d. act.

Speciales

50.
3.
28

XXVI.

Speciales & propriae hujus actionis affectiones sunt, quod illa I. oritur ex solo contractu societatis, à quo etiam nomen habet (directo quidem & per se, quatenus quid in ipso contractu placuit, v. g. ut res earumque lucra communicentur. Per obliquum vero & ex accidenti quatenus quid circa ipsum contractum, seu rem quæ in eo versatur, delictum est, ad alterius injuriam redundans, v. c. si alter rem ejusve lucrum dolo vel culpa communicare nolit. vid. Amplifs. D. Biccus in reb. quot. sect. IV. th. 122.) II. Competat soli socio ejusque heredibus l. 63. §. 8. adversus solum socium ejusque heredes. l. 35. l. 36. l. 40. III. Persequatur res & operas earumque lucra & damna, ut manente societate communicentur, dissoluta ea præstentur, vid. ib. 22. & 23.

XXVII.

6.
196

Superfunt Dissentanea. Quæ vel 1. ipsi contractui vel 2. ejus obligationi & actioni, vel 3. judicio adversantur. Neque enim sublato uno, necessario etiam alterum perit, v. c. licet contractus finitus sit, obligatio tamen & actio non expirant, sicut & hæ ipsæ finito judicio superfunt, arg. §. 5. Inst. d. except. Contractui adversantur, I. quæ ipsum statim nullum reddunt, aut transformant, hærentque illa, vel in subjecto l. 33. D. l. ult. C. h. r. vel objecto, l. 36. d. op. lib. l. 1. §. 7. quar. rer. act. non dat. vel forma, l. 32. l. 44. l. 52. pr. l. 5. §. 1. h. t. l. 13. d. præscr. verb. vel fine contractus l. 3. §. 3. l. 29. §. ult. l. 57. h. r. II. Quæ non quidem contractum tam vehementer impugnant, sed tamen ipsum quodammodo vitiant, qualis est nimia partium inæqualitas. l. 29. pr. l. 80. item si in particulari causa vitium hæreat, quod obligationis nativitatem impediatur, l. 53. & seqq. item, si in aliis articulis dolus vel culpa committatur, vid. ib. 23. III. repugnant contractui, quæ ipsum finiunt. Finitur autem ille secundum Ulpianum in l. 63. §. 10. ex personis, rebus, voluntate, actione. Quos modos Ulpianus ita repetit ex distinctis causis societatem constituentibus, materia sc. tum subjectiva tum objectiva quæ sunt personæ & res. Ratione formæ societatis quæ est consensus, considerat dissensum. Cum autem iste vel sit expressus vel tacitus, & hic vel factis judicialibus declaretur,


claretur, vel extrajudicialibus, singula hæc per voluntatem & actionem innuere voluit Ulpianus. Denique ea quæ obligationem & actionem sive jure ipso sive per exceptionem tollunt, ex locis communibus facile possunt repeti; sicut & quæ Judicio adversantur.



COROLLARIA.

1. *Cum ludæis societatem contrahere licet.*
2. *An uxori etiam cum extraneo?*
3. *Communio mulierum ex Can. 2. q. 1. 12. probari nequit.*
4. *Societas omnium bonorum tacite constitui potest.*
5. *Societati omnium bonorum dos filia data imputatur.*
6. *Obligaciones & actiones quæ inter socios & extraneos nascuntur, socijs ipso jure non communicantur.*
7. *Actio pro socio ad divisionem rerum communium non competit.*
8. *Proportio quæ in societate servatur Arithmetica an Geometrica dicenda?*

S. D. G.



Strassburg, Diss., 765A-52

ULB Halle 3
004 774 795



sb.


VD 17





edol
at, m
ibit,
cco n
na r
E I n
mid
mpli p
uris l
pero,

stat c
ris cog
Differ
um N
patri
is ex



B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO JURIDICA
DE
SOCIETATE.

1651, 5.

41.

QVAM
SS. TRINITATIS AUXILIO, ET
AUTHORITATE MAGNIFICI ET AMPLIS-
SIMI ICTORUM ORDINIS, IN FLOREN-
TISSIMA ARGENTORATENSI
ACADEMIA.

pro obtinendo J. U. Doctoratu,

Solenni censura subicit

JUSTUS SEBASTIANUS FABER,
Birckenfeldensis.

Die *horis, locoque solitis*



ARGENTORATI,

Ex Officinâ Typographicâ JACOBI TRILONIS.
ANNO 1751 L.

6.

196.

